

**Dissertatio medica inauguralis, de dysenteria ... / Eruditorum examini
subjicit Robertus Lloyd.**

Contributors

Lloyd, Robert, active 1810.
Baird, George Husband, 1761-1840.

Publication/Creation

Edinburgi : cum privilegio, apud Alex. Smellie, 1810.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ceam4edr>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

61750/18

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

D Y S E N T E R I A.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

R O B E R T U S L L O Y D,
HIBERNUS.

Societ. Reg. Med. Edin. Soc. Ord.

VIII. Kalendas Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO, APUD ALEX. SMELLIE.

1810.

АЛЯТИЗАУД

занятое звено не слышит звука, подают пати-

Wellcome

1940-1941
1941-1942
1942-1943
1943-1944
1944-1945
1945-1946
1946-1947
1947-1948
1948-1949
1949-1950
1950-1951
1951-1952
1952-1953
1953-1954
1954-1955
1955-1956
1956-1957
1957-1958
1958-1959
1959-1960
1960-1961
1961-1962
1962-1963
1963-1964
1964-1965
1965-1966
1966-1967
1967-1968
1968-1969
1969-1970
1970-1971
1971-1972
1972-1973
1973-1974
1974-1975
1975-1976
1976-1977
1977-1978
1978-1979
1979-1980
1980-1981
1981-1982
1982-1983
1983-1984
1984-1985
1985-1986
1986-1987
1987-1988
1988-1989
1989-1990
1990-1991
1991-1992
1992-1993
1993-1994
1994-1995
1995-1996
1996-1997
1997-1998
1998-1999
1999-2000
2000-2001
2001-2002
2002-2003
2003-2004
2004-2005
2005-2006
2006-2007
2007-2008
2008-2009
2009-2010
2010-2011
2011-2012
2012-2013
2013-2014
2014-2015
2015-2016
2016-2017
2017-2018
2018-2019
2019-2020
2020-2021
2021-2022
2022-2023
2023-2024
2024-2025
2025-2026
2026-2027
2027-2028
2028-2029
2029-2030
2030-2031
2031-2032
2032-2033
2033-2034
2034-2035
2035-2036
2036-2037
2037-2038
2038-2039
2039-2040
2040-2041
2041-2042
2042-2043
2043-2044
2044-2045
2045-2046
2046-2047
2047-2048
2048-2049
2049-2050
2050-2051
2051-2052
2052-2053
2053-2054
2054-2055
2055-2056
2056-2057
2057-2058
2058-2059
2059-2060
2060-2061
2061-2062
2062-2063
2063-2064
2064-2065
2065-2066
2066-2067
2067-2068
2068-2069
2069-2070
2070-2071
2071-2072
2072-2073
2073-2074
2074-2075
2075-2076
2076-2077
2077-2078
2078-2079
2079-2080
2080-2081
2081-2082
2082-2083
2083-2084
2084-2085
2085-2086
2086-2087
2087-2088
2088-2089
2089-2090
2090-2091
2091-2092
2092-2093
2093-2094
2094-2095
2095-2096
2096-2097
2097-2098
2098-2099
2099-20100



DISSE

DISSERTATIO MEDICA,

DE

D Y S E N T E R I A.

INTER morbos, quibus mortales obnoxii sunt,
dysenteria sane eminet, medicique studium atque
attentionem summo jure sibi vindicat ; propterea
quod, propter contagiosam ejus naturam, uni-
versos exercitus, classes, nosocomia, urbesque
saepenumero pervadens, exitium laborantibus
saepissime affert.

Hic morbus in regionibus calidis praecipue
grassatur. Regiones vero frigidae aut temperatae
hujus morbi immunes non omnino evadunt. In-
terdum enim, aestate exeunte et autumni initio,
epidemice etiam in his saevit. Hoc tempore in-
termittentibus saepe conjungitur.

Morbus incipit ut plurimum rigoribus, lan-
guore, virium prostratione, cibi fastidio, foeditate

A

oris cum sapore veluti cupri, vomituque bilioso frequente, capitis dolore, siti et pulsu celeri. Cum his conjunguntur flatus, borborigmi et constipatio.

Dysenteria laborantes ab impetu morbi primo pyrexia lassessit. Febris sub initio, modo intermittentis, modo synochae, typum induit: plerumque autem, morbo progrediente, indolem typhi, putridinis symptomatibus stipati, assumit. Intestina sunt interdum affecta priusquam symptomata febrilia apparuerint: quod manifestum est ab ingenti alvi constipatione, flatuque insolito canali alimentario emisso. Nonnunquam vero, quamvis rarius, * diarrhoea, torminibus nisibusque ad alvum exonerandam perpetuis stipata, initio adest. Duabus tribusve diebus faeces interdum ut plurimum naturales, sed copiosae sunt. Hae veruntamen in cellulis coli diutius retentae; et sic globorum induratorum, qui scibola vulgo dicti sunt, formam induunt.

Brevi, dejectiones frequentiores, sed minus copiosae fiunt; ac molestissimus tenesmus, qui inter symptomata morbi gravissima habendus,

* Cleghorn's Diseases of Minorca.

aegrum eximiè vexat. Tenesmo torminibusque ingravescientibus, aegrotus miserrimus sibi ipsi videtur, quasi tota viscera sese deorsum ferrent. Hoc tempore etiam tormentis crudelissimis tentantur, quae non sunt fixa sed per canalem universam vago itinere progrediuntur. Abdomen, supra pubes potissimum, saepe durum ac intentum est. Dejectiones nonnunquam fere perpetuae sunt. Haud insolenter decies vel vicies in die excretiones, immani urgente tenesmo, egeruntur.

Diversis morbi stadiis dejectiones, quoad calorem et qualitates caeteras, multum variant. Ex muco potissimum constant coloris albi, rubri, viridis, vel etiam subnigri, ac faetoris cadaverum instar. Mucus autem sanguinis quantitatem magnam saepius continet. Interdum materia purulenta spumosa cum muco admiscetur. Nonnunquam sanguis purus, nonnunquam etiam pus verum excernuntur in excrementis. Interdum moleculae sebaceae caseum referentes, dejiciuntur. Interdum etiam fimbriae membranaceae, intestinalium tunicae villosae abrasionibus consimiles, evacuantur. Vermes quoque, lumbrici plerunque, detruduntur. Nonnunquam etiam per os vomitu rejiciuntur.

In stadiis morbi provectoribus strangariâ
urinaeque suppressione aeger miser saepe oppri-
mitur. Lingua et dentes primo albidae vicidaeque,
tandem crustâ durâ, siccâ nigrâque, obducuntur.
Sitis est eximiè urgens. Admodum turbatur
mens et fit valde morosa. Maximum saepenu-
mero testatur vultus angorem.

Faeces naturales raro dejiciuntur. Quando vero
evacuantur, massularum induratarum, scibalorum
videlicet formam induunt; et tormina, tenesmus,
caeteraque symptomata gravissima aliquantulum
levaminis subeunt. Eruptiones miliares nonnun-
quam sese ostendere dicuntur.

Quanquam numeri majoris symptomatum quae
vulgo occurrunt mentionem feci, tamen dysente-
riae, quando graviori, multa alia enumeratis vio-
lentiora adsunt. Delirium violentius appetit.
Fauces aphthis haud raro obducuntur. Vultus
collapsus, et linimenta oris omnino mutata. Fae-
ces pessime olentes, aegro inconscio, dejiciuntur.
Singultus nascitur. Oculi materiâ vitro non dis-
simili obtieguntur. Sitis gravissima est. Abdo-
men haud raro durum ac intentum reperitur.
Pulsus exilis et intermittens fit. Morbo in ex-
trema sic properante, subsultus tendinum, et con-
vulsiones superveniunt. Dolores et tormina sae-

pius subito cessant. Gelidi vicidine sudores erumpunt. Pulsus arteriarum intermittentes fiunt. Extremitates frigescunt. Morsque demum malis perplurimis aegrum miserrimum eripit.

Omnia symptomata quae enumeravi in eodem dysentrià laborante raro inveniuntur. Quum morbus typum mitiorem induit, remediis propriis in auxilium vocatis atque rite adhibitis, non difficulter vincitur. Nonnunquam tractatione debitâ etiam intra paucos dies, tres scilicet quatuorve, decedit. Multo saepius vero longius producitur; ad secundam aut tertiam hebdomidam scilicet, vel etiam ad multas menses.

PHAEENOMENA E DISSECTIONE DYSENTERI-

CORUM PRODEUNTIA.

Canalis alimentariae pars inferior signa inflammationis, exulcerationis ac gangraenae semper ostendit. Intestina magna, praे aliis vero rectum, solito crassiora, vel gangraenâ prorsus affecta vel partim inflammatione partim sphacelo correpta, a Georgio Cleghorn accuratissimo inveniebantur. Idem mentionem facit quod saepe videbat tuberculosa scirrhosa iter coli diversis in partibus coarc-

tantes ; membranamque peritonei cellulosam, colo rectoque contiguam, abscessibus parvis obsessam. Ab eodem omentum inventum est prorsus fere deletum, parvaeque ejus reliquiae omnino nigrae, simul cum materiâ purulentâ albâ in abdome. Vesica fellea quoque a Cleghorn inventiebatur saepe multum aucta, et bile nigrâ plena. Splenque putridissimus saepe apparebat.

Donaldus Monro, M. D. cadaveribus dysentericorum inspectis, colon rectumque maculis nigricantibus, gangraenâ ortis, faedata, tunicamque intestinalium peresam, observabat. Joannes Hunter tubercula parva, speciem pustularum variolae praese ferentes, tunicam intestinalium internam occupantes, describit.

DIAGNOSIS.

Dysenteria a diarrhoeâ, cholicâ, et cholerâ, facile dignoscitur sequentibus. Pyrexia dysenteriâ laborantem ab initio semper lacessit ; nunquam vero ab initio diarrhoeâ laborantem. Si autem in diarrhoeae curriculo supervenerit pyrexia, symptomatica habenda. In diarrhoeâ defecationes sunt et frequentes et copiosae. Dysen-

teria, praesertim in hac insulâ, contagione propagatur: Diarrhoea nunquam vero contagiosa est. Alvus cholicâ laborantium pertinaciter astricta est: In dysenteriâ vero dejectiones frequentes. Insignitur cholera frequentibus biliosis dejectionibus et vomitibus, surarum spasmatisbus.

DYSENTERIAE CAUSAE.

Quaenam huic morbo sint causae excitantes, diu inter medicos et acriter fuit disputatum. Ab aliis enim contagio semper, ab aliis nunquam causa habita fuit. Quidam porro, longâ experientiâ edocti, morbum nunc contagione oriri, nunc omnino eâdem vacare, ut crederent, adducti sunt.

E variis causis excitantibus, ab auctoribus memoratis, frequentissimsae sunt sequentes—contagio, paludum miasmata, et frigus.

Hujusce morbi causa frequentissima certe est contagio, in hac insulâ forsitan unica. Plurimis, dictum est, contagio impertitur in cloacis, ubi dysenteriâ laborantes alvum exonerant. Dum alii, qui aegrorum vestimenta lavant, morbo plectuntur. Natura et operandi modus contagionis

aciem mentis humanae omnino fugit. Paludum miasma, non solum intermittentibus, verum etiam dysenteriae, originem praebere posse, opinatur Pringle. Ejusdam opinionis inter alios fuit illust. Sydenhamus, qui dysenteriam “ febrem prevalentem in intestina versam” nuncupat.

Nonnullis opinio est, quod frigus aut perspiratio impedita, sine contagione vel rebus quae contagionem generant, inter causas hunc morbum excitantes, est recensendum : aliis quibusdam attamen de hoc sane scrupulus est.

PROGNOSIS.

Ea dysenteriae est natura ut semper ut plurimum, periculosa sit habenda ; praecipue vero cum medicamenta propria in auxilium non sint mature vocata atque rite adhibita. Aetatem attamen, corporis habitum aegrotantium, anni tempestatem, et symptomatum numerum atque violentiam rite perpendendo ad certiorem prognosim venire potest. Mulieres, infantes, et aetate proiecti, dysenteriae potissimum obnoxii sunt, periculoque majore versantur. Quin etiam et scorbuticis et cachecticis, et omnibus quidem,

quorum corporis constitutio roburque malis aliis praecedentibus conflictata sunt, periculum maximum est. Bringle mentionem facit, quod morbus multo laethalior est in tempore autumnali quam aestivo; hyemeque semper mitior est.

Quando symptomata violenta curationi idoneae non cedunt, eventus multum est metuendus. Si pyrexia sit violens, tormina et tenesmus valde vehementia, finis metuendus sane indicatur.

Petechiae, stercoris foetor intollerandus, parvus debilis pulsus, singultus, convulsiones, urina et stercora sponte elabentia, terminum vehementium cessatio subita, omnia haec signa sunt pessima, et supremam horam venisse nunciant. Contra, dejectiones sub impetu morbi primo copiosae, tenesmus et tormina non graves, pyrexia levis vel remittens, corporis robus parum imminutum, somnus recreans, appetitus, imprimis symptomata remediis aptis adhibitis cedentia,—eventum morbi faustum indicant.

RATIO MEDENDI.

Si dysenteria in homines robustiores, constitutioneque corporis pleniore praeditos, impetum fe-

cerit, sanguis sub initio morbi detrahendus est, ob proclivitatem et ad inflammationem, et ad gangraenam intestinorum. De quantitate sanguinis detrahendi, viribus et habitu aegrotantis, signorumque inflammationis vehementia, judicium faciendum est. Quoniam vero febris quae morbum comitatur saepe typhoides, est summâ cum cautelâ venaesectio est efficienda. Quando morbus formam putridam induit, vel aegri vires corporis multum fracti sunt, prorsus contra indicata est.

Ut ventriculus depleatur, et faeces induratae, sordesque putridae aliae diversae, ex intestinis removeantur, medicamenta emetica purgantiaque praे remediis aliis in dysenteria adhibentur. Praesertim sub morbi initio utilis invenitur vomitio, cui consilio ipecacuanha sive tartris antimonii bene inserviunt. Verum nequaquam sine discrimine usurpanda sunt ; tartris antimonii enim emeticum nimis vehemens est aegris debilibus, praesertim autem in regionibus calidis, ubi corpus admodum laxum redditur, et magna ad putridinem proclivitas adest ; verum in regionibus frigidis, habituque corporis plethorico, tale remedium plenumque adhiberi debet. Medicamentum hoc, ipecacuanha scilicet, partitis vicibus, dosibus granor-

um duorum triumve pro re natâ repetitis, adhibitum, et ad ventriculum gravatum exinanendum valet, et pylorum transiens canalem alimentariam rite exonerat.

A medicis fere omnibus purgantia p̄ae remediis aliis in dysenteriâ curandâ habentur. Ad usum eorum, et in temptationibus primis mali, et morbo cursum absolvente, medicus pro re natâ confugiat, oportet. Mitiora anteferenda sunt, quoniam eorum frequenti repetitione forsan usus erit. Quoniam etiam comitans pyrexia est vulgo typhus, cathartica, quippe quae vires laborantium frangunt, caute sunt praescribenda; multi aegri quidem non cathartica saepius quam tertio quoque die possunt tollerare sine magnâ virium prostratione. Cathartica mitiora quae vulgo adhibentur sunt sequentia,—sulphas et phosphas sodae, sulphas magnesiae, oleum e seminibus ricini, cassia senna, rheum palmatum, et submuriias hydrargyri. Quando vero cathartica mitiora optatum effectum, scilicet faecium induratarum remotionem, non praestant, ad fortiora decurrentum, ad pulverem scilicet radicis convolvuli jalapae cum submuriate hydrargyri conjunctum, et cetera, quae dosibus propriis adhibeantur oportet. Purgationibus in dysenteria adhibitis venter primo

liquidus aegro descendit; remedia attamen haecce levamen symptomatibus vel rarius vel nunquam ferunt, usque dum scybolae dejiciantur. His autem expulsis, intestinorum spasmis celerius saepe succurritur. In utrâque Indiâ medici mercurio interne et externe large uti solent. Hoc medicamentum a medico Joanne Clarke multum laudatur. Ille nos docet, quod submurias, praeparationibus metalli omnibus aliis anteferendus, dosibus granorum decem cum opio conjunctis, si horâ sommi sumendis usque dum glandulae salivales in actionem levem cientur, effectus exoptandos plerumque praestabit. Torminibus tenesmoque remedio hocce secundum Doctorem Clarke citius succurritur, morboque celeriter medetur.

Nonnunquam ventriculus est admodum irritabilis, et cathartica vomitu rejiciuntur. Quando hoc fit, quodvis gratum aromaticum medicamento adjiciendum est.

Summum auxilium adferunt enemata, quoniam non solem intestina evacuant, sed etiam intestina fovent et emolliunt, doloremque leniunt. Tenesimum quoque et tormina compescunt. Nihilominus nullo modo opinor ad intestina purganda enematibus fidem esse habendam. Oleosa et

mucilaginosa, decoctum scilicet lini, amilive, pullorum gallinaceorum jusculum, et qualia, praetaliis administranda. Symptomatis inflammatoris et pyrexiae remotis, magnopere profecto opium ad quaedam levanda mala confert; summo cum beneficio cum enematibus administratur. Hoc modo intestinorum irritabilitas hebetatur, et tormina magno in gradu supprimuntur.

Usus balnei tepidi, ineunte praesertim dysenteria, et fomentorum calidorum, plurimum celebratur. Haec tormina superant, et ad spasmum intestinorum sublevandum, ideoque ad vires purgantium augendos, valent. Hoc consilio vesicatoria quoque usui fuerunt. Quando tenesmus perstat et violenter urget post purgantium et opii usum proprium, rectum exulceratum esse concludendum est. Ad hoc leniendum enema emolliens cum opio injiciatur, oportet.

In stadiis morbi proiectioribus ventriculus et intestina acore vulgo opprimuntur. Quare absorbentia, qualia sunt mistura cretacea, pulvis cretae compositus, aqua calcis, &c. administrentur, oportet.

Sub initio morbi ususfructum acidulorum mateturorumque a plerisque praescriptus est, et, ut citur, magno cum beneficio.

Quando magna debilitas adest, et vires aegri, morbo diu persante, multum fracti, ad usum liberum cinchonae officinalis et vini rubri, alvo prius bene purgatâ, confugiendum est. Quum res ita se habent, adhibitio medicamentorum astrigentium necessaria esse potest, quale est electuarium catechu, &c. Haec in stadiis proiectioribus, in quibus summa debilitas morbum vulgo comitatur, cum magno beneficio adhibita sunt.

Genus diaetae in dysenteriâ attentionem summam sibi vindicat. Sub initio morbi maturi fructus, qualia sunt poma, citri aurantii fructus recentes, &c. praescribi cum beneficio possunt. Potus sit aqua hordacea acidula, decoctum hordei cum tamarindis, aliaque hujusmodi. Oryza, panada, juscula tenuia, et qualia, adhibeantur, oportet.

Per totum morbi decursum, mundities summâ attentione colenda est. Faeces sordesque aliae ex cubiculo aegroti quamprimum removeantur.

FINIS.

Edinburgi,—cum privilegio, apud ALEX. SMELLIE.